

FRANCISCI PATRICII  
PANAUGIAE  
LIBER OCTAVUS  
*DE LUCE ET LUMINE SUPERCOELESTI.*

De luce, radiis, lumine, sociisque rebus, quæ sub visum caderent, satis a nobis, et quidem liberiore, et liberaliore philosophia libris præcedentibus est disputatum. Nunc eaque recta ratio ab his ducta indicare possit, perquiramus altiora: et quæ supra hylæum, æthereumque mundum posita videri queant; et ostendamus utriusque huius mundi molem, supercœlesti lumine, non solum esse circumdatam, sed etiam permeatam. Itaque dicamus si ex utroque hylæo, et æthereo, mundus unus constitutus, infinitus mole est, frustra docebitur, extra mundum nulla esse corpora, nulla loca, nullosque motus. Sin vero finitus mole sit, et superficie extima circumvolutus, quæstiones hæc rite proposita fuere olim, et nos spacium extra mundum esse, recte, et docuimus, et adhuc docebimus, illudque vacuum corporibus. Nam et Peripatus qui corpora ibi esse negavit, vacuum ibi spacium esse non negavit. In quo spacio sane substantiæ illæ, quas supra mundum habitare asseruit, æternoque ævo, beatissimam vitam degere, quid sint qualesque quibusque viribus polleant, in præsentia ommittamus inquirere, suo loco id reservantes. Ad eas enim contemplatio nostra, nos veluti manu ducet. Sane si modo concesserimus optimas ibi, incorporeasque substantias æterno ævo beatissime vivere, consequetur necessario, spacium illud, non omnino esse vacuum. Sequetur etiam eas vivere ibi, vel in tenebris, vel in lumine, vel in re alia, quæ neutra harum sit. Quæ res, est in præsentia perquirenda. Si optimæ, optimam ibi vitam degant, ratio suadet, eas ab omni talis vitæ impedimento esse liberas, omnique tristitia vacare. At si tenebras ibi locaverimus, rem pessimam, omnique hominum, deorumque generi exosam, insensissimamque, beatissimi dabimus; quæ eas mœrore atque horrore perpetuo obrutus teneat. Abigendæ itaque sunt illinc tenebræ. Nam et rationes aliæ non esse illic tenebras demonstrant. Tenebræ enim in opaco, et ab opaco sunt. Opacum autem non aliud in mundo apparuit esse, quam quæ diximus tria, vel quatuor, lunam, nubes, terram, terrea. At in supera illa regione nullum tale habitare corpus, iam est statutum. Ergo ne opacum quidem corpus ullum ibi erit. Nec terreum ergo, nec terram, nec nubem ibi esse certum est. Umbram vero lunæ non eo usque porrigi, ratio superior demonstravit. Nullæ ergo tenebræ extra mundum a mundo porriguntur. Neque ibi ullæ aliæ vel esse, vel habitare, vel vagare possunt. Neque ibi sedebunt, quia luminis sint privatio, nec qua lumen sint minimum; nec qua lumini contrariæ. Hæc enim omnia vel corporea sunt, vel e corporibus exeunt. Corpus autem nullum ibi esse opacum, iam est constitutum. Neque, etiam si verum sit, ut oracula cecinerunt, ibi plurimum esse ignis, ibi vel anthrax, vel flamma, vel favilla est ulla. At si tertia ignis species, lux, et lumen ibi est, quod et asserimus, et probabimus, non tamen, vel se ipsam, vel sibi congenerem opacat; et si opacat, non tamen obscurat, quando et si noster ignis alium ignem, quamvis obtegit, non tamen obscurum reddit. Et ignes nostrates, quamvis transpicii non sint, nullas tamen tenebras proiciunt, neque ullas in se habent. Sed toti, vel lux sunt, vel luce circumtegentur et lumen ex se, quaquaversum emicant. Si quis ergo ignis, non transpicius, supra mundum concedatur esse, non ideo tenebræ ullæ ibi concedentur esse. Concludendum ergo in universum, nullas ibi prorsus aut esse, aut esse posse tenebras.

Quid vero aliud quippiam ibi erit? Quod nec tenebra sit, nec lumen? Equidem si res talis quæppiam ibi sit, vel media inter hæc, vel ultra utraque, erit aliquid. Quod neque imaginatio, neque cogitatio, neque ratiocinatio, neque intellectio ulla capit, aut assequitur. Si talis sit, quam neque mens, neque ratio, neque vis alia nostra cognitrix capiat, non est nobis in ea inquirenda, frustra laborandum. Sin autem media inter lucem sit, et tenebras, vel ea extremorum negatione, nihil lucis, nihil tenebrarum habebit; vel utriusque particeps, composita quædam media erit dicenda. Si prius sit, eam nec luminis, nec